



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Septiceps Lvthervs, Vbique Sibi, Svis Scriptis contrarius,  
in visitationem Saxoniam**

**Cochlaeus, Johannes**

**Parisiis, 1564**

De Libero arbitrio, cap. 40.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35803**

## DE VOTO CASTITATIS.

*Virgil. li. 3.  
Georgico.*

*De decem  
præceptis.  
cap. 6.*

& mulieres, Deo publicè votis & orationibus sanctificatos, vt in monasteriis locisque religiosis à coitu abstinere nō possint, à quo abstinent plerique gentiles & animalia bruta, quæ maximo alioqui ardore & impetu in furias (vt ait Poëta) ignemque ruunt. Audi saltem (Illustrissime Princeps) quid ipse olim hac de re senserit. Virginitas (inquit in decem præceptis) in lege olim summum erat opprobrium, nunc autem summa gloria. Tunc damnabile dedecus, nunc incomparabile decus, iis saltem quæ non proposuerunt nubere. De qua multi multa & magna scripserunt, quia verè nulli virgini potest fieri restitutio. Et paulò post. Sacrilegium est (inquit) vbi iam non tantum castitas polluitur, sed etiam quæ Deo soli sint oblata, tollitur, & sanctum prophanatur. Verum hoc ex institutione Ecclesiæ magis quam ex Deo est in sacerdotibus. Sed in religiosis grauissimum est, quia spontè sese consecrauerunt Domino, & sese subtrahunt rursus. Et in Resolutionibus suis. Religiosi (inquit) debent suam obedientiam seruare, etiam si possent alibi martyrio coronari.

## De libero Arbitrio.

### C A P. XL.

**D**E libero hominis arbitrio haud vna est huius Prophetæ Saxonici sententia. Pri.

mò námque nobiscum asseruit illud simpliciter, in explanatione orationis Dominicæ. Tum obiicitur (inquit) Ohe, nunquid non Deus nobis arbitrium liberæ voluntatis contulit? Responsio. Contulit reuera tibi liberam voluntatem: Sed cur tu illam proprii iuris esse facis, & in seruitutem asseris, nec liberam manere permittis? Cùm enim illa ad tuum abuteris libitum, non est libera, sed magis seruitutem apud te seruit. Deinde, mutata priori sententia, sic ait: Liberum arbitrium post peccatum, res est de solo titulo: Et dum facit quod in se est, peccat mortaliter. Posteaquàm verò Papa hanc eius sententiam reiecit, ipse quoque in despectum Papæ reiecit quidem eandem, sed adhuc peiorem substituit in locum. Habes (inquit) miserande Papa, quid hîc obganias? Vnde & hunc articulum necesse est reuocare. Malè enim dixi, quòd liberum arbitrium ante gratiam sit res de solo titulo, sed simpliciter debui dicere, Liberum arbitrium est figmentum in rebus, seu titulus sine re, quia nulli est in manu sua, quippiã cogitare mali aut boni, sed omnia (vt Viclephi articulus Constantiæ damnatus rectè docet) de necessitate absoluta eueniunt. Quod & Poëta voluit, quando dixit, Certa stant omnia lege. Et Christus Matt. vi. folium arboris non cadit in terram sine voluntate patris vestri, qui in cœlis est, & capilli capitis vestri

*In explanatione pater noster.*

*In Assertionione art. 36.*

DE LIBERO ARBITRIO.

omnes numerati sunt. Ad hanc turpissimam ac seditionis, blasphemiamque; ac desperationis plenam sententiam, arguit ipsemet, partim in Resolutionibus suis olim, partim in visitatione noua nuper. Ita sanè quæritur in Resolutionibus. Sic enim habet hodie (inquit) vidua Christi, sancta Ecclesia, vt omnibus omnia liceant, & præsertim Theologis Scholasticis, inter quos inuenire est, qui veras etiam sententias damnent, nulla causa, nisi quia ex suo fonte non prodierunt. Iphis tamen licet asserere, quòd Deus peccatù facit, Deus est causa mali, culpæ, & multa alia. Quæ, si quis Poëta, vel Orator (vt vocant) aut græcè, latinè, hebraicè doctus, diceret, omnium hæreticorum pessimus fuerit. Hæc ibi. Nónne hic seipsum (vt Paulus ad Titum prædixit) condemnat velut hæreticorum pessimum? Quomodo enim peius sentire queat, quàm dicere, nulli in manu sua esse, cogitare quidpiam mali, aut boni, sed Deum operari in nobis omnia bona & mala, vtî de seruo. arbitrio contra Erasmus Rot. scribit: Sed & Philippum suum, què ad Vualdenses tantoperè commendat, eadem resolutione condemnat, tum in locis communibus, tum in Romanis eius, vbi iuuenili quidem temeritate, sed horrenda blasphemiam ait, Nō magis cōuersionem Pauli, quàm proditionem Iudæ à Deo propriè & effectiuè factã esse. Quãuis eandem impietatem affirmet ipse quoque in friuola ac execrabili assertionem suam, dū ait: Quomodo

*In Resolu.  
conclu. 71.*

*Titum. 3.*

*De seruo. ar.  
bitrio.*

Quomodo

Quomodo potest homo se ad bonum præparare, cū nec in potestate tua sit, suas vias malas facere? Nam & mala (inquit) opera in impiis Deus operatur. Contra eiusmodi tamen absurditates & blasphemias scribit nunc in Visitatione sua in hunc modum. Multi quoque de libero arbitrio indiscretè loquuntur: Idcirco hanc breuem (inquit) informationem ascripsimus. Homo habet ex propria virtute liberum arbitrium, ad faciendum vel omittendum opera externa, per legem & pœnam adactus. Quapropter potest & secularem probitatem & bona opera facere ex propria virtute, à Deo ad hæc data & obtenta. Paulus enim vocat eam iustitiam carnis, hoc est, quam caro aut homo ex propria virtute facit. Si ergo operatur homo ex propria virtute vllam iustitiã, vtrique habet electionem & libertatem & fugiendi malū, & faciendi bonū. Sed & Deus requirit huiusmodi externam seu secularem iustitiam, sicut scriptum est, Gal. iij. Lex data est ad prohibendum transgressiones externas. Et j. Timot. j. Iustis non est lex posita, sed iniustis & inobedientibus, impiis & peccatoribus. Vide nunc (Illust. Princeps) quàm miserè, sed iusto Dei iudicio, Lutherus tuus erret, atque in errorem mittat, ac deinde reuocet, & se & suos rursus arguat & condēnat. Si enim in hoc articulo se ipsum redarguere non veretur, vbi quæso erubescat? Nam sic ait ipse in Assertionē. In cæteris autē articulis, de Papatu, Conciliis, Indulgentiis,

In lib. Visi.

Art. 36.

DE LIBERO ARBITRIO.

aliisque non necessariis nugis, ferenda est le-  
 uitas & stultitia Papæ, & suorum: sed in hoc  
 articulo, qui omnium optimus, & rerum no-  
 strarum summa est, dolendum ac flendum est,  
 miseros sic insanire. Et in Erasmus scribens,  
 tanta tumet & hinc gloriatur superbia, vt  
 non solum Erasmo, sed & Origeni & Sancto  
 Hieronymo sese in scripturarum tractatione  
 præferat. Et si sermone sum (inquit) imperi-  
 tus, rerum tamen scientia non sum imperitus  
 gratia Dei. Sic enim cum Paulo audeo mihi  
 arrogare, & tibi cum fiducia derogare scien-  
 tiam. Et infra. Quos igitur Origenes, quos  
 Hieronymos Diatribe nobis, oblita pacti, obi-  
 icit? Cùm inter Ecclesiasticos scriptores nul-  
 li ferè sint, qui ineptius & absurdus diuinas  
 literas tractarint, quàm Origenes & Hiero-  
 nymus. Et vbi manet nunc impudentissima  
 eius iactantia, contra Regem Angliæ, de sua  
 doctrina, si quis aliter doceret, aut damnaret  
 quæ ipse scripsit, de fide, de charitate, de ope-  
 ribus, de baptismo, de pœnitentia, de sacra-  
 mento altaris, de libero arbitrio, de Christo,  
 &c. is damnaret Deum, & oporteret eum ma-  
 nere filium inferni. Ipse autem perpetuò ma-  
 neret circa eiusmodi articulos vt docuit, cùm  
 sciat, non suam, sed Dei doctrinam esse. Trotz  
 omnibus Diabolis & hominibus, vt eam sub-  
 uertant. Nónne ipse subuertit eam sæpissimè?

De sermo. ar-  
 bitrio.